

irretitus, rheda impeditus, uxore paene constrictus esset? Videte nunc illum, primum egredientem e villa subito: cur? vesperi; quid necesse est? tarde; qui convenit, id praesertim temporis? Divertit in villam Pompeji. Pompejum ut videret? sciebat in Alsiensi esse. Villam ut perspiceret? millies in ea fuerat. Quid ergo erat? mora et tergiversatio, dum hic veniret, locum relinquere noluit.

XXI. Age nunc, iter expediti latronis cum Milonis impedimentis compare. Semper ille antea cum uxore: tum sine ea; nunquam non in rheda: tum in equo. Comites Graeculi, quocumque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat, et ancillarum greges: ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum esse diceres. Cur igitur victus est? quia non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur: quia, quanquam paratus in imperatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. Nec vero sic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus. Semper ille, et quantum interesset P. Clodii, se perire, et quanto illi odio esset, et quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam suam, quam maximis praemiis propositam, et paene addictam sciebat, nunquam in periculum sine praesidio, et sine custodia projiciebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem: qui saepe spoliantem jam, et exultantem evertit, et perculit ab abstracto. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de ejus extremis comitibus cogitavit: in quos incensos ira, vitamque domini desperantes cum incidisset, haesit in iis poenis, quas ab eo serui fideles pro domini vita expetiverunt. Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet, ne indicarent: ne dolorem perferre non possent: ne tormentis cogarentur,